
S. FELIX EPISCOPVS ET MARTYR.

SPALATENSI VRBI DALMATICÆ CROATICÆ, METROPOLI, PRIMATIALIQ.

ET

VERITATI VINDICATVS

A IOANNE TOMCO MARNAVITIO
Episcopo Bosneñ, Coadiutore Canonico & Lectore Zagabrieñ, Sacræ Cæsareæ Regiæq. Maiestatis Consiliario.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apostolicæ.
MDCXXXIV. Superiorum permissu.

PErlegi magna cum voluptate Opusculum hoc eruditum Illustriss. & Reuerendiss. D. Ioannis Episcopi Bosnensis, in quo ex vetustis & probatis monumentis nobili Spalatensi Metropoli S. Felicem Episcopum & Martyrem inuictum vendicat, & postliminio doctis reddit argumentis. Dignum iudico, quem in veritatis & clarissimæ gentis Illyricæ gratiam omnes legant, & excussum præ manibus habeãt. Ita censeo ad S. Isidori Collegium Romæ die 23. Nouembris 1634.

Fr. Lucas VVadingus.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. P.M.S.P.A.

A. Torniellus Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Antoninus Celius Mag. & Socius Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost. Fr. Nic. Riccard. Ord. Prædic.

EMINENTISSIMO
ET REV.MO PRINCIPI
FRANCISCO
TIT. S. LAVRENTII IN
DAMASO
CARD. BARBERINO
S.R.E. VICECANCELL.



Ioannes Episcopus Bosnensis felicitatem precatur.



IN sacra Historia, qua ante triennium, Regiæ sanctitatis Illyricanæ fęcunditatem collectam, tua benignitate concinnatam, tuaq. liberitate luci expositam; dum martyrium inuictissimæ Heroinæ S. Arthemiæ, Diocletiani Principis filiæ, describerem, emendando errorem in Aurelia Vale-
ria

ria nobilitate pridem edita, ex diu ſuppoſitio Sexto Aurelio Victore, contractum, cum me ſignificaſſem iam ſtylum ſtrinxiſſe, contra, alioqui doctum virum, patriæq. ſuæ ſingulare decus, Thadæum Donnolam Iſpolenſem, ſiue Hiſpolanum, Spalatenſi Vrbi, immo veritati, nimio patriæ illuſtrandæ affectu, minus æquum, cumq. paulò poſt onus Epiſcopale humeris meis impoſitum, nouis curis, vix ſtrictum ſtylum retardaſſet, mox Legatio Apoſtolica ad Viſitationem Septentrionalium partium iniuncta, & ab vrbanis muſis, & ab eodem ſtylo producendo vlterius, abſtraxiſſet, tandem ſeſqui altero anno vertente, muneris Apoſtolici rationem rediturus, Vrbem repetendo, benignitatis tuæ hoſpitalitate, ad ſacras illius ædes, cuius Leuitica dignitate præfulgens, diſpergendi dandiq. pauperibus, bonum opus æmularis, humaniſſime recreatus, ommiſſum ſtylum repetij, breuique lucubratiuncula, vt inter graues curas licuit, S. Felicem Epiſcopum & Martyrem, nō admodum felici conatu, per Donnolam à Spalatenſi Vrbe, ad Hiſpolenſe ſiue Hiſpellanum oppidum, ex Dalmatia, in Vmbriam, atractum, veritati, & Spalatenſi ſacro ſepulchro, non abſque felicitatis omine reſtitui, cum vltimam lineam ipſo triumphali die, Filiorum S. Felicitatis, lucubratiunculæ produxerim, edendiq facultatem ipſius Felicitatis anniuerſaria memoria acceperim, qui paulo ante, ipſa feliciſſima luce S. Felici dicata, ex Illyrici littoribus, oras Italicas tenueram.

quod

quod opusculum felicissimo patrocinio tuo, Princeps virtutibus omnibus eminentissime, vt alias causas ommittam, vel ex eo capite commendo, quo nullus alius eiuscemodi disceptationis arbiter, & aptior iudex esse queat, quam tu. qui prætérquam quod sacrarum antiquitatum Bibliothecã, heroico tuo pectore cõdidisti, Vmbrorũ prouinciam, Spoletanã autem ditionem pręcipue, intra quã Ispolum siue Hispellum includitur oppidũ, penitus perlustrasti, indagasti, examinasti, quãdiu Sanctiss. D. N. patrui tui, dum ipse Spoletanum gregem, pauit pastor vigilantissimus, ijsdem studijs, quibus nunc in vniuersalis Ecclesiæ curis, adfuisti, & interfuisti. accedit eruditioni, & rerum experientiæ, sacrum munus nuper tibi ab eodem supremo terrarum Pastore demandatum, quo, vt olim Hieronymus Damasi authoritate, tu Vrbani, in Damasi throno, & eximijs dotibus succedentis, Ecclesiasticarum consultationum, ex vniuerso orbe Christiano confluentium, solicitudinem, Hieronimiano zelo, felicissimam exerces. denique quia qualiscunque labor hic meus, ex ijsdem sacris Laurentianis penatibus lucem agnoscit, quos idem Hieronymus Damasi lateri adhęrens, incoluit. Hoc itaque opusculum Hieronimianæ nationis (cuius res agitur) in gratiam, quam immortalibus beneficijs prosequi desinis nunquam, benignus excipito, proq. innato veritatis propugnandæ amore, tueri dignato.

Marci

Marci Spudei Salonitani, I.V.D. de Donnolæ conatu iudicium.

Spellum pro Spalato finxiße, perinde tenetur,
Priuatam, ac Regum, finxeris eße domum.
Regia qui coluit pugnans Palatia Felix,
Priuata, haud facile Victor, in æde cubat.

Caroli Verantij Siccensis.

Scribere quis quis amat clarorum facta virorum,
Vel res quas diues Mnemosines teneat,
Diuersas adeat necesse est sedulus Vrbes,
Et varia, doctos consulat arte, viros.
Exiguis tectis, vix est spectare propinqua,
Alta nisi scandas, nulla remota vides.
Non facile Spalatum reperiri, Donnola scribit,
Exiguis tectis, vix tulit ille caput.
Inuia nulla via Tomco fuit, hactenus orbe,
Aequora siue seces, arua vel ampla petas.

Michaelis Verantij.

Spoletum, Spalatum, seu Vrbs Martana, Tudertum,
Felicis palmas ambitione petunt.
Transeat; hæc sacro semper fulsere decore,
At sacra Hispolo, nomina nulla quadrant.

Ioan-

Ioannis Lucij Tragurini I. V. D.
Ad Donnolam.

Donnola Dalmaticas durus cur ſæuis in Vrbes,
Funditus vt totas interijſſe velis?
Gotthorum feritas nequijt quas perdere quondam,
Enſis Vandalicus, Tartaricuſue furor,
Impetit aſſiduè quas caſſo Turca labore,
Tempus edax rerum queis quoque parcit adhuc,
Somnia forte docent reperiri nulla Spaleti
Mænia, ſed ſomno non datur vlla fides.
Vnica ab Auguſtis integro ſtructa labore,
Vrbs Palatina manet, cæteræ vbique iacent.
Felicis cineres inibi, dum protegit almos
Ipſe Deus, pariter protegit & Spalatum.

Ioannis Miſercich Canonici Siccen̄.
De Donnola.

Donnola vult Spellum ſolio fulſiſſe ſacrato,
Nulla priora tamen cum monimenta promat.
Auguſtum Spalatum, venerandum Sede ſacrata,
Annos mille ſuper, teſte vel orbe ſatis,
Extinguit terris; cur ſic? quia forſan in Vmbris
Somnia quæ dictant, fas cecinisſe putat,
Hæreo, tam docto, ſi quiſquam hoc credet in æuo;
At radijs ſolis clarius ecce patent.

Mat-

Matthæi Dudesij Absorensis.
Ad Donnolam.

Vt rapias Spalato Felicem, Vrbem eripis orbi,
Mænia dum Spalati Donnola nulla nulla putas.
Si sponte erras: sponte errori cædere stultum est;
Si culpa inuita est, corrige falsa libens.

Antonij Bogdanich Bosnensis.
Anagramma.

IOANNES TOMCVS MARNAVITSIVS
EN IVSTVS CVM RATIONIS AMANS.
Causidico, ratio crebro censetur in illis,
In queis nec veri, nec rationis onus.
Historicus, ratio cui veri formula sola est,
Causidico melius ius rationis habet.
EN RATIONIS AMANS, CVM MARNAVITSIVS ipse
TOMCVS IOANNES IVSTVS. vbiq; sonat.

Michaelis Clarij Zagabrensis.
De S. Felice.

Quid tenet Illyricos Feliois Lipsana tractus,
Vmbria martyrium si sibi forte dedit?
Quid loca destituit primos vbi sanguine fontes
Fuderat, & palmis Victor habendus erat?
Scilicet hic moriens patrias processit ad aulas,
Flagrat at in patrijs quisquis inesse plagis.

S. FELIX EPISCOPVS ET MARTYR.

Spalatensi Vrbi, & veritati vindicatus.



A est hominum erga patrium solum affectio, isque erga natales terras, in humano pectore exardescit amor, vt nunquam se satis egisse, nec diu vixisse, pro augendis atque exornandis laribus suis existiment. multoq. auidius rei patriæ, quam priuatæ amplificandę, amplioris animi viri studere noscantur. vt in tanta auiditate, immensoq. ardore suæ Ciuitatis illustrandæ, mirum sit minimè, sæpe sæpius, non priuatos homines tantum, sed vrbes amplissimas, & in orbe Christiano etiam præstantissimas Respublicas, & pro natalibus illustriũ virorum, & pro eorundem sacrorum cinerum, ac reliquiarum possessione, litibus decertasse immortalibus: ita septem Vrbes Asiæ primarias, super Homeri poetæ natalibus, egisse tradidit antiquitas; ita inter Palestinos & Cyprios, miram contentionem ad sua tempora perdurasse, super possessione reliquiarum. S. Hilarionis, Diuus tradit Hieronymus; ita eiusdem Hieronymi natale solum in vno Illyrico, tria oppida simi-

itudine nominis affinia, certatim ſibi vſurpant; ita vt eiuſcemodi plurima mittamus exempla, vna eademq. in vnica inſula, gens Sicula, poſt mille quingentos, ferme annos, ſuper natalibus pretioſiſſimæ cælo æque atque terræ; Virginis, & Martyris Agathæ, nouis æuo noſtro, litibus exarſit, dum Panormitani Cathanienſibus, illos eripere conantur. hoc idem cum nuper ob feliciſſimum Chriſti Martyrem, rarumq. in paucis Epiſcopum Felicem, 18. Maij tabulis Eccleſiaſticis inclytum, Spalatinis, ſiue Spalatenſibus, Spoletinis, Martanis, Tudertinis, Hiſpolinis, ſanctiſſimum Præſulem ad ſe atrahẽtibus, contingere videam, ego qui in hiſtoria, qua vnicam ſacram nobilitatem Aureliam Valeriam, Salonitanam, ante ſexennium expreſſi, eundem Felicẽ Spalatenſibus adſcripſi, quo tẽpore nil prorſus mihi conſtabat eorum, quæ paulo ante Thaddæus Donnola Hiſpolenſis, ad propriæ patriæ decus, de eodem ſancto viro, ſcriptis euulgarat, vbi demum hæc animaduerti, operæ pretium duxi, ne quis me falcem in alienam meſſem poſuiſſe reprehẽderet, ijs quæ à præfato authore, viro alioqui multarum rerum ſcientia prædito, impreſſa circumferuntur, examinatis, libratisq. quibus innititur argumentis, breuiter hiſtorico more, totum negotium diſcutere, vt vnica rerum Regina, optimo iure, ſicuti idem teſtatur, Veritas triumphet.

Hanc vt pro ſe ſtare, Lectori perſuadeat Donnola, authoritatem profert viri de litteratura Eccleſiaſtica optimè meriti Vſuardi, ante octingentos annos Monachi. qui ſub eadem die duodeuigeſima Maij; qua

Mar-

Martyrologium Romanum memoriam agit S. Felicis Episcopi & martyris, Spoleti, vt in serie dictæ Lectionis apparet, Sp lati verò, vt varia Lectio à Cardinali Baronio adiecta Lectioni, & asterisco notata ostendit, ex ijs caussis, quas in notis, ad eandem Lectionem, adscribit, ponit memoriam S. Felicis Episcopi & martyris, sub eodem Imperatore Maximiano, sub quo & Martyrologium Romanum, sed apud Spellatensem Vrbem. qua authoritate prolata, & Spoletanæ, & Spalatensi Vrbibus, ipse Donnola S. Felicē auferre conatur, vt Hispolio patrio oppido illum assuat. sed pro maiore rei claritate, iuuat initium ipsum sui libelli proferre: *Sanctus, inquit, Felix Episcopus & Martyr, cuius festū ab Ecclesia Catholica die* 18. *Maij celebratur, Spoleti in Martyrologio Romano quo hodie vtimur, legitur Martyrio coronatus, his verbis: Spoleti S. Felicis Episcopi, qui sub Maximiano Imperatore martyrij palmā adeptus est. Quod ex Vsuardo Monaco in eius Martyrologio eodem die, & Petro de Natalibus Episcopo Equilino in Cathalogo Sanctorum li.*5. *cap.*13. *astruere videtur Illustriss. Card. Baronius, in suis ad Martyrologium Romanum postremò auctis Notationibus; dum nulla facta mentione, nec ratione habita Lectionis Vsuardi, quem primum affert, Spoleti vt supra legendum existimat, asseuerans pro Spoletino Spalatensem, à Petro dici Episcopum, ac Spalatēses eum sibi, vt suum vendicare Cæterum* (sequitur) *vincit veritas qua ea sententia planè refellitur; Non enim Spoleti, seu apud Spoletanam, neque apud Spalatensem in Dalmatia, sed vera, & germana Lectio est, apud Spellatensem Vrbem in Vmbria. idq. perspicuum est, non modo ex ipso Vsuardo loco*

allegato, cuius verba formalia in omni editione sunt hęc, videlicet: Ipso die Sancti Felicis Episcopi, qui apud Spellatensem Vrbem sub Maximiano Imperatore palmam martyrij adeptus est ita ille. sed minimè veritatis triumpho. cum enim asseruisset (vt vidimus) nō Spoleti, seu apud Spoletanam, neque apud Spalatensem in Dalmatia, sed veram & germanam esse Lectionem, apud Spellatensem Vrbem in Vmbria, Vsuardus tamen ab eodem recitatus, nullam mentionem Vmbriæ habet, ita vt germana Lectio, minus germana, in ipso limine veritatem suam minimè vincentem, sed ruentem exhibeat. Nec contentus mala fide, immo cum impostura, Vsuardum citasse, Lectioni imponendo, Petrum Equilinum erroris arguendo, erranti sibi conciliare nititur, cum ait, idem constare quod ex Vsuardo confinxerat, etiam *ex Petro qui* (verba eius sunt) *dicto lib.* 5. *cap.* 13. *à Baron. citatis, non legit Spoleti, seu apud Spoletanam Vrbem, sed postposita tantum libera, ex Typographi incuria, vt plerunque accidit (quod forsan Baronio, & alijs erroris offendiculum fuit) inquit: Felix Episcopus apud Spalatensem Vrbem sub Maximiano Imperatore passus est, qui cum Christum Dominum prædicaret à Iudice comprehēsus, post plurima supplicia, gladio cedente, martyrij palmam adeptus est.* 15. *Cal. Iunij: hæc Ado in Martyrologio. hactenus Petrus.* ita Donnola, pergit porro: *Dum igitur Petrus ea refert ex Adone in Martyrologio, clarius detegitur error in dicto verbo Spalatensis: quod cum ipse paucis additis, Vsuardi verbis vtatur, vt supra ex vtriusque scriptis cōstat; ex Vsuardo qui habet Spellatensis scribere voluisse dicendū est; non autem ex Adone, qui eo die 8. Maij à S. Felice nec*

qui-

quidem verbum prodit. Quod vero Petrus aequè alias & tertio Adonem perperam citauerit, vel ex ipso Cardinali Baronio constare potest, in ijsdem Notationibus ad diem 4. Ianuarij in verbo Dafrosæ, & ad diem 8. Augusti in verbo Seueri, alijsq. in locis, in quibus à Baronio redarguitur. ita Donnola, qui ne longiores simus, pergit errorem Petri exagerare, quia nec in altero Adonis Martyrologio, neque à Petro Galesino mentio habetur S. Felicis sub die 18. Maij. Ex quibus patet: Donnolam velle primo Lectionem Petri pro se citare, dum eum Typographi incuria possit excusare. secundo: eũdem trahere in sententiam Vsuardi, eo quod neque cum Adone, neque cum Galesino citatis, conueniat. At hoc dato & non concesso, non tamen Spellatensem Vrbem in Vmbria constituit, nec Spellatensem Vrbem Hispoli oppidum ostendit. Sed bonus Donnola vt quoquomodo Petrum in proprium errorem pertrahat, errat multò periculosius. *Tum quia* (inquit) *si idem Petrus de ea ciuitate verba facere intellexisset,* (de Spalatensi intelligit) *vtique non apud Vrbem Spalatensem, neque apud Epetium, quod oppidum est vulgo Spezze Stephano, & Ortelio testibus, sed apud Salonæ Vrbem latine scriptis mandasset, vt alias egit, & mox subijciam, porro Spalatum haud facilè est reperire apud authores, Spalatra verò ex Stephano Thessaliæ vrbs est. ex Plinio lib.4. c.9. Magnesiæ oppidum, vt scribunt Ortelius & Passeratius; veteres autem scriptores, & Petrus Appianus cum Gemma Frisio, in 2. parte Cosmographiæ; in verbo Dalmatiæ ciuitates, atque ijdem Stephanus & Ortelius, Galesinus, & alij, Salonæ ciuitatem, olim Coloniam*

pene

pene euersam, non autem vt ætas nostra Spalatrum dicunt, quod & aduertisse videtur Dominicus Marius Niger in sua Geographia, comment. 6. qua in vrbe Salonæ Diocletianus Imperator genitus, amplissimum excitauit ædificium, quod adhuc fermè extat, & tandem cum Maximiano Collega xx. principatus anno, deposita Imperij purpura (& si Maximianus non èquè propositi tenax fuerit, decennium ibidem hortorum culturæ addictus hærens, mortem obijsse fertur. vt tradunt historici, & scribunt Nicephorus Calixtus, Ecclesiasticæ hist. lib. 2. cap 20. Socrates Constantinop. lib. 1. c. 2. in fin. Diuus Antoninus, par. 1. tit. 8. c. 2. §: 1. in fine. & Naucler. in chron. generat. 11. ad annum Domini CCCIX. vbi per bel e Diocletiani verba ad Maximianum spe repetendi principatus elatum, reuocās ait. Vtinam Salonis olera nostris manibus insita inuisere posses, de resumendo Imperio non iudicares. hactenus verba Donnolæ, nil minus quam propositum suum, sed semper maiorem errorem ostentantia. præsertim dum Vrbem Spalatum haud facilè apud authores reperiri, & Spalatum vnam eandemq. ciuitatem cum Salonis, siue Salona esse, lectoribus imponit. Et quidem de priori parte imposturæ; idest Spalatum non inueniri apud authores, cum idem sit, haud facilè reperiri, sicuti etiam de posteriori, nimirum vnam eandemq. Vrbem Spalatum & Salonam, mox clarissimis authoritatibus ostendā; sed prius, vt Lector, Iuris vtriusque Doctoris iniuriā in Classicos authores, ab illo citatos, agnoscat, pauca percurramus. Citat ille, vt vidimus, Ortelium pro oppido Epetio, at in quem finem, ni magnus Apollo ex tripode aliquid innuat, absolutè non capio, cum

nec

ec Petrus, nec Vſuardus, nec Ado, nec vllus ſcriptorum de S. Felice ſcribentium, Epetij meminerit, citat tamen, quaſi Epetium, ſicuti & Spalatum cum Salona confundere velit at Ortelius ipſo loco ab illo citato, Epetium non in continenti ponit ſicuti eſt Salona, ſed locum Inſularem ex Plinio, quem citat, oſtẽdit. ita vt Epetium poſt impoſturam, confuſioni tantum adaugendæ, apud Donnolam inſeruiat. idem paulò poſt, Dominicum Marium Nigrum ſcribit aduertiſſe Salonam & Spalatum idem eſſe. at Dominicus loco à Donnola citato, poſtquam Salonam & eius ſitum deſcripſit, ſequitur; Palatium oppidulum haud procul Salonis, quod noſtra ætas Spalatum appellat in margine curuati lictoris ſitum. ita Niger. ſed & Nauclerum peruertit, quippe qui loco citato clarè ſcribit Diocletianum priuatũ in villa, haud procul à Salona, præclaro otio cõſenuiſſe. ita Nauclerus, velit nolit Donnola. ſed ne omnium erratorum ſuorum, diſcuſſorem agam, ad primam impoſturæ partem, accedendo, qua Spalatenſem Vrbem non reperiri, ſiue difficilè reperiri apud authores ait; vt miſſas faciam cateruas Spalatenſium ciuium toga ſagoq. mille annorum ſpatio pręſtantiſſimorum, Capitulum eiuſdem Vrbis per octingentos annos integros, omnium Dalmatię Epiſcoporum Seminarium; ipſum Spalatenſem Archiepiſcopatum, trium ampliſſimorum Epiſcopatuum, Pharenſis, Tininienſis, & Modruſienſis matrem, & ſuæ propriæ Diœceſis ac menſæ imminutione, fundatorem; culmen ipſum Spalatenſis Eccleſiæ, libera electione Metropolitani eius Senatus, Legatis Apoſtolicæ Sedis,

etiam

etiam Cardinalitia eminentia clarissimis delatum, & per eosdem felicissimè administratum, Vrbem eandem plurium Regum & Reginarum hospitam, quamdiu sui iuris fuit, mox sub Regibus Vngaricis & Bosnensibus, ac ipsa Republica Veneta, liberarum ciuitatum ritu habitam, aliquando etiam fauore Regũ Siciliæ & Vngariæ, ad Ducalis excellentiæ, proximarumq. Insularum, ac maris imperium, nec non adhucextantis monetæ iure cudendi, amplitudinem euectam, Reipublicæ Anconitanę, aliarumq liberarum retro actis sæculis, vrbium fæderibus inclytam, vt antiquitatum magis quam legum studiosis, apud authores est facilè reperire, præsertim verò apud eorum compillatorem Antonium Proculianum, Venetijs sæpe cusum, præterito sæculo, & recusum; neque enim Spalatensis Vrbis Encomiastem, sed veritatis illustrandæ, qua maxima breuitate licet, perfungor officio. Spalatensis Vrbs vnico Donnolæ difficilis repertu, siue potius nulla, toto orbe, vel præcipuè Orientalium mercium, quæ Venetias, magno Italiæ, & Europæ vniuersæ commodo, iam diu quotidie conuehuntur, illustrissima, eodem littore Dalmatico, quo illam Nauclerus à Donnola mala Fide citatus constituit, à Salonarum ruderibus, simili fermè spatio, quo Hispolum à Fulginate Vrbe distans, vt patet ex Historia, memorialis nomine, à Thoma Archidiacono Spalatensi, ante quadringentos annos, de Salonitanis, & mox de eorum successoribus Spalatensibus Præsulibus, acuratissimè scripta, à Diocletiano Augusto, magnificentissimo opere, cui per mille trecentos annos tempus edax rerum, vt vix alicui reli-

quiæ

uiæ Romanæ maiestatis, ad nostra pepercit tempora, nsultante licet plurimarum potentissimarum gentium mpetu, extructa fuit solatio vitæ priuatę, cui per decē-iium ab Imperij mole, inaudito exemplo & felicitate iumeris excusso, studuit ad vltimum vitæ fatum, per multa sæcula Palatij nomine appellata; In ea Iulium Nepotem Dalmatam, Romanū Principem, ab Oreste, quem militiæ magistrum idem Princeps constituerat, Imperio deturbatum, post ducentos fermè annos, à Diocletiani tempore, Glycerius vir sanctissimus, ex Imperatore, Salonarum Antistites, hostem pridem suum, Christiana pietate, Orestis furori subtractum, excepit diu, fouitq. progressu temporis inclinata Romani Imperij maiestate, irruentibus ex vtraque Sarmatia, pluribus gentibus in Romani Regni reliquias, Mauritij præsertim, Phocæ, Heraclijq. temporibus in primis, Salonarum vrbe, ab Auaribus populis, quos Simocata illorum temporum scriptor Slauos appellat, sicuti & Cōstantinus Imperator Porphirogenitus dictus, qui modum euersionis ad oculum describit, diffugientibus huc illuc, ad proximas Insulas, præsertim Salonitanis ciuibus, bustum totius Dalmatiæ Metropolis, Illyricianęq. gentis ad illa tempora Emporium, destitutum iacuit. verum mitigatis postea hostium efferatis animis, & ditissimæ vrbis spolijs ex satiatis, cum Salonitani ciues exules, antiquæ patriæ desiderio arderent, Seuero Episcopo authore, magna pars illorum, natale solum ex Insulano exilio, repetendo, cum Salonas euersas, minus tutum locum ad incolendum inuenissent, & restituendis mænibus Vrbis, quæ teste eodem Constan-

tino cap. 29. dimidium habuit eius magnitudinis, quā Constantinopolis, impares esse se agnoscerent, Palatium Diocletiani insano opere structum, admirandisq. turrium altissimarum propugnaculis circumseptum, & pro eorum temporum conditione, locum prorsus inexpugnabilem, fontibus, templis, varijsq. ædificijs, ad Imperialium seruitiorum, opificumq. vsum olim exornatum, milliarii fermè circumferenria laxatum, incolendum duxere; sacris prophanisq. Salonarum ornamentis, illuc importatis. hinc à Palatio, Spaletium, mox Spaletum, & Aspaltum, denique Spalatensis Vrbs, dictum est. quare sigillum quo Senatus Spalatensis vtitur, exhibet structuram præclari Palatij in modum arcis extructi, sequenti Epigrammate circumscriptum.

Spaletum Palatium Lætum.

& hæc quidem ex Archidiacono & Proculiano laudatis. quibus quia non facilè Donnola, iuristarum morē, diues exceptionibus acquiescet, tanquam Dalmatis. ad externos accedamus. apud quos Spalatensis Vrbs ita præclara sēper extitit, vt nullæ mēbranæ sint ex ijs quæ Nauarchorum industria, littoribus orbis terrarum exactissima proportione, ad ventorum flatus per lineas designatis, nauigationibus dirrigendis exaratis, hactenus prodiere, quæ illam suo loco adnotatam non exhibeant, pluresq. ampliores nimirum, etiam Salonarum situm ostentent. Verum enim vero quoniā Donnola in mediterraneis natus & educatus, facilè eiuscemodi membranarum ignoratione vellet excusari, quāuis maritima tractanti, concedatur id nequaquam, pręterea

terea quoquot Cosmographi, Geographi, Corrographiq. ab magnetis lapidis vsu in mari inuento, spatio trium sæculorum, de situ terrarum orbis, & specialiter de Hadriatico mari, tabulas edidere, Spalatensis vrbis meminere perpetuo. ex quorum numero, duos in hac facultate immortalitati natos, satis Latinè scribentes, Ortelium in suo Theatro, & Mercatorem in Atlante, produxisse hic, pro innumeris alijs sufficiat. quorum vterque Spalatum in littore à Nauclero descripto, Salonā separato situ describit. hic in tabula Sclauoniç, ille in Illyrici. ita vt quod apud viros omnibus obuios facilè reperitur, difficilè, vel minimè reperiri Donnolæ, vnde proueniat, modestia suadente, libenter subticeo. concedamus tamen hoc viro causas officij sanctç Inquisitionis, toto affectu peragēti, vix vacasse per occupationes vt inuestigaret, illud tamen quod in omnibus fermè angulis Vrbis Romanæ, per quadraginta paulò minus annos, ex quo Romam frequentare cępi, omnium noui oculis occurrere, amplissimo nempe papiro, æneo opere præeleganti, Spalatensem Vrbem, cum vniuerso agro, necnon ruinas Salonarum, cum proximis quibusq. finitimis Insulis, vrbibus, oppidis, & arcibus, ante sexaginta annos à Martino Rota primū, mox à Natali Bonifacio Sibenicensibus, ænei operis exprimendi facilè principibus, venalem prostantem, quomodo virum alioqui solertissimum præterire potuerit, non video, nec videre multum laboro, cum sufficiat aliorum oculis, id quod Donnola minimè vidēs, alios quoque difficilè potuisse videre, vel nullatenus vidisse, iniuria veritatis asseuerat. At non solum apud

præfatos authores, & eiſdem ſimiles, Spalatenſem Vrbem eſt facilè intueri, ſed & alios omnes, qui variarum nationum, Illyricæ præſertim gentis, & Dalmatiæ Prouinciæ, vel leuiter meminere. quorum Cathalogo recenſendo, ne patientia benigni Lectoris abutar, omnium præſtantiſſimum & Græcè, atque Latinè triginta ſeptem ab hinc annis, Vrbi & Orbi illuſtriſſimum, eminentia dignitatis, experientia & notitia earum rerum quas ſcribit, & grauitate negotij, in cuius finem ſcribit, omnium in hac materiè maximum, & quem ignoraſſe Iuris Doctori, quàm impunè liceat, ipſe Iuriſta viderit, Conſtantinum Imperatorem, ſeptingentis ab hinc annis, ad Romanum filium, & in Principatu ſucceſſorem, leges adminiſtrandi Imperij (quod Auguſtum cum Tiberio, aliosq. principes cum ſucceſſoribus ſuis egiſſe conſtat) præſcribentem, vnum pro omnibus alijs exhibeo, Spalatenſem Vrbem, & Salonas ad oculum exprimentem. hic ergo Capite vigeſimonono, de rebus & qualitatibus Dalmaticis filium inſtruens: Diocletianus inquit Imperator Vrbem Aſpaltum condidit, & in ea Palatia omni deſcriptione maiora, quorum etiamnum reliquiæ ſuperſunt veteri magnitudinis teſtes. ita ille qui eodem capite ſed propè ad finem: Aſpalti Vrbs, quæ paruum Palatium ſignificat, Diocletianus Imperator extruxit, habuitq. illam vt domum propriam, aulamq. ibi ædificauit, & Palatia quorum pleriq. interierunt. quæ autem etiamnum ſuperſunt, valde pauca ſunt, ex quibus Epiſcopi Vrbis, & templum Sancti Domni, vbi ille ipſe ſanctus ſepultus eſt. quod cubiculum erat eiuſdem Diocletiani Imperatoris. ſubter

ſunt

sunt rotundi fornices, olim custodiæ, in quas sanctos immaniter à se cruciatos compingebat. ibidem etiam situs est Sanctus Anastasius. Vrbs autem hæc neque è latere est, neque ex enchorego, sed ex lapidibus quadratis, vlnarum sæpè duarum longitudine, & vnius latitudine. qui compaginati inter se, cinctiq. ferro in plumbum liquefactum impacto; in ea Vrbe stant etiam columnæ complures, super quas cosmitæ, in quibus idē ille Imperator Diocletianus ędificaturus ęrat rotundos fornices, totumq. oppidum tecturus, & Palatia sibi extructurus, omnesq. vrbis ædes, quæ supra istos fornices, gemino, aut triplici concameratione, vt non exiguam partem cooperuerit; męnia autem vrbis ambulacrum non habent, neque propugnacula, sed è simplici muro sunt; in quo fenestræ ad emittenda iacula. ita Constantinus. Spalatensem autem Vrbem totius Dalmatiæ principem fuisse, patet ex eodem cap. trigesimo sub finem. vbi dum scribit qualia tributa liberæ Dalmatię ciuitates Auaribus siue Slauis, penderent, Aspaltum duplo plus alijs soluisse memorat: Aspaltus, inquit, solidos ducentos, Tetrangurin, hoc est Tragurium centum, Diadora, hoc ęst Iadra centū & decem, Opsara centum, Arbe centum, Becla, siue Vegla centum, Ragusiam verò quia iacet inter ZaKluma, Tribuniamq. oppidani pendunt ZaKlumorum quidem Principi 11. triginta sex, Terbuniæ vero totidem solidos. hactenus instructissimus rerum Dalmaticarum Constantinus. qui dum modum quo, & populos, à quibus Salonæ euersæ fuerunt describit, sat prolixa serie, Spalatum à Salonis diuersum efficit, vt supra vi-

vidimus. quod idem de Crobatis agens replicat, dum ait: Illic in hodiernum vsque tempus Palatia ac Circi Diocletiani supersunt, in Vrbe Salona,& prope Aspaltum. hæc Imperator. nec est cur nobis obijciat Naucleri authoritatem, qua Diocletianus ad reasumendū Imperium sollicitatus à Maximiano Collega, fertur respondisse: Vtinam Salonis olera manibus nostris insita inuisere posses) de reasumendo Imperio nō iudicares. etenim hunc Naucleri locum, mala fide à Donnola in suam imposturam attractum, ex ipso Nauclero docuimus, qui Diocletianum non Salonis, sed in Villa haud procul à Salonis consenuisse tradit, quod bonus Donnola subticuit. nec obstat quod Salonis olera seuisse responderit Diocletianus, cum sciamus ob nobilitatem loci, primario loco tribui quod in eius agro fit, Spalatum autē in agro Salonarum, sicut & hortos olerum, extitisse certum est. sed breuitati insistendo, authoritatem Romani Imperatoris prolatam, summi Romani sacrosancti Throni authoramento, germanam esse videamus. etenim in eius Curia, Codex extat antiquissimus cusus, & recusus pluries, qui Prouintiale omnium Ecclesiarum inscribitur, ex libris Cancellariç Apostolicæ extractus, vt ipse titulus præ se fert. in eo Spalatensis Vrbs, non solum Cathedrali dignitate, vrbium orbis Christiani formali prærogatiua, sed Metropolitica etiam præeminentia, decem suffraganeis Episcopis insignis habetur. & vt priuilegia Spalatēsis Ecclesiæ, nunquā in controuersiā attracta testātur, sed ad hanc vsque diem vsu comprobata, Primatiali maiestate super Dalmatiam, & Croatiam nobilitatur. &
licet

licet allatæ hactenus authoritates, ad plenam probationem veritatis, pro qua scribimus, satis superq. sufficiant, iuuat attamen post Pontificia, Cæsarea testimonia, etiam Regalis excellentiæ habere suffragia, licet non omnibus obuia. Asseruatur in Archiuio Spalatensis Senatus, transactio in veteri membrana, sigillo Regio Vngarico nobilis, inter eos Belamq. Regem Vngariæ ante quingentos annos inita, eiusmodi tenoris: Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo secũdo; Ego Bela Rex Vngariæ, Chrobatiæ, atque Dalmatiæ; Iuro super sanctam Crucem vobis Spalati principibus, firmam pacem & libertatẽ. mihi quoque, & filio meo, aut successoribus nostris tributarij ne sitis. Episcopum vero aut Comitem, quem Clerus & populus elegerit, confirmabo, & lege antiqua constituta, cum vestro iudice, vos vti permittam. ita Bela Rex multaq. alia, quæ breuitatis gratia omittimus. extat & alia eiusmodi fermè tenoris, præsertim vbi Spalatenses principes appellat, in eodem Archiuio, anni Domini millesimi cẽtesimi quadragesimi tertij, à Geisa Rege itidem Vngariæ acta. vt magis elucescat Donnolæ Spalatensis Vrbs, à viris qui principes à Regibus appellarentur, excultam fuisse; quam ipse nullam, vel non facilè reperiri, nimis facili stylo asseruit. ex ijs igitur non solum nobilissimam vrbem extare, sed & diuersam à Salonis, siue à Salonitana Vrbe, liquere omnibus, haud dubium est. Donnola nihilominus contendens Petrum Salonam, & Spalatum vnam eandem vrbem intellexisse: *Quod verè* (inquit) *de Spalati ciuitate Petrus agens, eam Salonam Vrbem dixerit,*

patet,

patet, nam in eodem Cathalogo Sanctorum lib.7.cap.124. de S. Anastasio Corniculario, dictæ Vrbis Martyre, inquit, Anastasius Martyr passus est in Salone Dalmatiæ ciuitate sub persecutione Diocletiani Imperatoris. Hic ex Aquileia ortus &c. atque iterum lib.11.cap.130. sub nu.116. de S. Domnio Salonæ seu Spalati Vrbis Episcopo (à quo & ipsi Cathedrali seu Metropolitanę Ecclesię Spalatensis nomen est) breuiter sic scripsit. *Domnus Episcopus cum militibus octo, Martyres in Dalmatia, ciuitate Salona passi sunt 3. Idus Aprilis. idq. pariter comprobatur, tum ex antiqua nuncupatione Episcopi eiusdem ciuitatis, vt in Epistola S. Zosimi Papæ ad Hesychium Episcopum Salonitanum, de qua Card. Baronius in prædictis Notationibus sub die 9. Aprilis, in verbo Pontifice. tum etiam ex hodierna nuncupatione; Nam Archiepiscopus Spalatensis, Archiepiscopus Salonitanus Latinè scribitur ab eruditis. ita* Donnola. si in alijs minus, in ijs minimè laudandus; dum nec argumentandi modum tenet, nec authoritates allatas intelligit, Anastasium Cornicularium, cum Anastasio Fullone, Romanum cum Aquilensi, confundit, nec Domnionem à Domnio distinguit, Zosimi Papæ Epistolam ab re producit, & hodiernam nuncupationem Spalatensis Archiepiscopi, ab Eruditis Latinè scribentibus, Salonitani voce efferi, gratis exponit, vel melius dicam imponit. & vt à primo capite, bona venia patientissimi Lectoris, incipiamus; & quidem à modo argumentandi nulli Dialectorum noto; quis enim vnquam admisit modum argumentandi quo vtitur Donnola, Petrus Spalatum intellexit pro Salona, quia Sanctum Anastasium, cuius reliquiæ asser-

uantur

nantur Spalati, idem Petrus Salona passum fatetur. Ita enim possemus argumentari: Scriptores Neapolitani intelligunt Neapolim pro Beneuento, quia S. Ianuarium, cuius reliquię asseruantur Neapoli, Beneuenti passum fatentur. & sic Veneti de Alexandria & Venetijs. Ianuenses de sua ciuitate, & Macheronta, quia hi Sancti Baptistæ, illi S. Marci cineres possident: at quis absque chachinno talia audire queat? verum bonus Donnola in S. Domnione, vt ille ait, Salonæ, seu Spalati Vrbis Episcopo, ridiculo argumento, confusionem addit, & mendacium. hoc dum S. Domnionem Spalati Episcopum appellat, cum ille nunquam Spalati, sed Salonæ Thronū tenuerit. item quia licet Domnio Salonis sederit, ibique cum octo militibus martyrium subierit, non tamen Spalati, sed Romæ prope Constantinianum Baptisterium in Ecclesia S. Venantij, à Ioanne IIII. Papa Dalmata excitata, in hunc finē ab eodē Pontifice, cū socijs, pluribusq. alijs Sanctorum Dalmatarum corporibus, opere musiuo, in dictæ Ecclesiæ & apside, & parietibus expressorum requiescit, ab ipsa Salonarum euersione, sicuti & ex Lateranensis Basilicæ Archiuijs, & ex Card. Baron. notis in Romanum Martyrolog. ad 3. Idus Aprilis, apertissimè constat. confusionem porrò, quia S. Domnionem, cum S. Domnio Salonitanorum Præsulum Coriphęo, vt pote S. Petri Apostoli discipulo, cuius reliquias Spalatenses in Metropolitana Ecclesia, cum sacris cineribus S. Anastasij, ex euersa Salona Spalatum translatis, vt dies festus translationis miraculis illustris, annua commemoratione celebrari solitus, cum sacri officij lectionibus testatur, confundit, cuius S. Episcopi anniuersa-

ria solemnitas, ab vniuersa Dalmatia, non tertio Idus Aprilis, sed Nonis Maij, solennis habetur. de quo, & non Domnione, vt vidimus paulò ante, Constantinus Imperator agens de Vrbe Spalatensi, meminit. authoritates à Dõnola allatas, minimè ab ipso intellectas, ex eadem confusione licet colligere, præsertim qua Sanctum Anastasium Fullonem, cuius reliquiæ Spalati seruantur, Cornicularium appellat, quos diuersos omninò, vel ipse Petrus ostendit. Zosimi Papæ Epistolam gratis citari, vel inde liquet, cum nil minus ex illa probetur, quam quod, vt Donnola male infert, ex antiqua nuncupatione Episcopi Salonitani intendit, siue distendit. nimirum Salonam & Spalatum eandem Vrbem hoc, enim modo plures S. Gregorij Papæ & aliorum Romanorum Pontificum ad Salonitanos Antistites epistolas, interpretari licuisset bono Donnolæ. demum quid minorem eruditionem ostendere queat, quam id, quo ait bonus vir, hodiernam nũcupationem Spalatensis Archiepiscopi, ab eruditis Latinè scribentibus, Salonitani voce efferri. cum neminem talem inueniret, vel ipso Romanæ Ecclesiæ maximè Latino stylo reclamãte, qui à tempore Ioannis XXII. qui electionem Spalatensis Episcopi, primus Capitulo Metropolitano auferens, ad successores transmisit, nũquam Salonitanum, sed Spalatensem Archiepiscopum, in omnibus litteris Apostolicis nominauit. licet ipsi Archiepiscopi, in proprijs litteris, se Spalatenses, cũ adiectione, alias Salonitanos, appellare cõsueuerint aliquãdo, vt ostendant ortum suæ dignitatis. sed & hoc quoque concesso, nimirum Petrũ Spalarensem Vrbem pro Salona dixisse; quid tum? Spalatum in Salonam con-

fla-

ſtabitur? quo facto, num hæc metamorphoſis aliam magis monſtruoſam generabit Hiſpoli oppidi, in Vrbē Spalatenſem coitionem? at quid abſurdius? Vſuardi ſaltem modo, debebit ſcripſiſse Petrus, inquiet Dōnola; ſed & hoc admiſſo, non tamen ſequetur Hiſpolum oppidum, Spellatenſemq. Vrbem, eandem fieri. at ſimilitudo vrget Donnola, nominis præſertim Italicā Hiſpoli, quæ Spel ſonat, proximè accedit ad Spellatenſem notionem; reſpondetur, maiorem affinitatem Spellatenſis Vrbis, cum Spalatenſi itidem Vrbe, quam cū Spel oppido, clarè videri incomparabiliter. præſertim cum Spalati nomen, ſæpius immutatione litterarum, alterationem admiſerit, apud authores, pro varietatē temporum. vt hinc Palatium, paruum Palatium, Aſpaltum, Speletium, Spaletium, & demum Spalatum, dictum fuerit. quibus alterationibus veroſimilibus eſt Spellatenſem pro Spalatenſi enunciationem, apud aliquos inoleuiſſe, & hoc apud Latinè, non Italicè, ſcribentes. vnde fit, vt votum Donnolæ facilè euaneſcat. At enim vero compatiendum fortaſſis fuiſſet affectui Donnolæ, erga patriam, ſi ſaltem authorem citatum, bono modo, vt virum grauem, graduatum, & Chriſtianum decet, produxiſſet in medium, & non ita mutilatum, vt particulam quæ tantum affectui ſuo, vtcumque inſeruit, exponeret, illam porro, in qua veritas totius authoritatis citatæ ſpectatur, vtpotè ſuæ impoſturæ contrariam, ſupprimendo occultaret. etenim vt phantaſticum nuper exploſum argumentum conficeret, ſuper intentione Petri, eundem citans lib. 7. cap. 124. *Anaſtaſius*, inquit, *Martyr paſſus eſt in Salone ciuitatē Dalmatiæ, ſub perſecutione Diocletiani Imperatoris; Ilic*

 ex

ex Aquileia ortus. hucusq. ille ex Petro. quia hanc particulam suo gustui inseruire cognouit. sed vbi paulò vlterius, in eodem textu Petri, vidit Anastasium, non in Vrbe Salona, martyrio affectum, verum ex Vrbe dicta, in qua captus fuerat, in aliã ciuitatem, in, qua Imperator morabatur ductum, ideſt Spalatum, in qua Vrbe ex Constantino, vidimus Diocletiano fuisse palatiũ, & ibi in mare, iussu Imperatoris demersum, sacrasque eius reliquias à pia matrona, non Salonæ, sed in territorio Salonitano sepultas, ne prudens Lector inde imposturam detegeret, omnia silentio inuoluit. & reclamante veritate, Anastasium Salonæ passum voluit, & sepultum, vt Spalatum eãdem vrbem cum Salona, confingeret. sed verba Petri audiamus, is postquam aliqua præmisit de origine & professione Anastasij. Tandem inquit amore animatus Martyrij, ad Salonitarum ciuitatem deuenit. & cum in hospitio, in quo mansurus erat, signum Crucis in locis pluribus depinxisset; & ob hoc, à gentibus comprehẽsus, & iudici præsentatus est. qui cum sanctum cogitasset diuersis laniare supplicijs, ab Imperatore subita iussione cõpulsus est, ad ipsam, in qua Augustus degebat, concitus ire ciuitatem. ob hanc causam, expeditam in Christi martyrem, sententiã protulit, vt suspenso ad collum eius ingentis lapide, in mari, præcipitio daretur. ita Petrus. qui vbi narrauit inuentionem sacri corporis, opera pię matronæ Asclepiæ procuratam: mox addit: matrona deinde Ecclesiã construxit, & corpus martyris in Salonitano territorio, collocauit. ita Petrus. ex quo si bona fide egisset Dõnola, bene cognouisset. S. Anastasium in alia ciuitate à Salona, nimirum in qua Augustus degebat ciuitate,

mar-

martyrij subijsse sententiam. quam ciuitatem apertè ex Porphirogenito, Aspaltum, siue Spelatium, siue Spellatensem vrbem, alijsq. similibus paulò diuersis inter se nominibus appellatam, vidimus. Sed illud etiam non prætermittendum in Donnola, quod vbi probauit Petrum nequaquam errore ductum, Spalatensem vrbem potius quam Spoletanam scripsisse; statim in illũ virga insurgit censoria, negatque legendum apud illum, id quod pluribus eius editionibus constat, apud Vrbem nimirum Spalatensem, sed Spelatensem, prout ait haberi in Codice manu scripto, Romæ in Bibliotheca Ducum ab Altaemps, conseruato. at hoc etiam dato, nec tamen eiuscemodi maleo S. Felix ex Hispolensi oppido, detundetur potiusquam ex vrbe Spalatensi, cum Spalatẽsis vox magis concordet cum Spellatensi, quam cum Hispolensi nomenclatura, quin immo si gramaticis, siue orthographicis obseruationibus est locus, ab ipso Vsuardo, quem vnicum suum habet Achillẽ Donnola, Petri lectio ab Altaempsiana lectione nõ secedens, ad Spalatẽses magis accederet; cũ in citato codice, vt profert Donnola, Spelatensis vrbs, cum simplici liquida littera L. expressa habeatur, sicuti scribitur Spalatum, non verò cum duplici, vt ponit Vsuardus, & Donnola, dum suos Hispellates dupplicata L. littera, more antiquo describit. sed ijs quoque vt superfluis ommissis, sicut illis quibus iterum atque iterum ex Vsuardo, Salonam & Spalatum confundit, quia in eius Martyrologio, ponitur passio SS. Domnionis & Anastasij, Salonæ in Dalmatia, nusquã autem (verba Donnolæ sunt) Spalati, pergamus vlterius. Progreditur itaque Donnola & longa dissertatione

tione

stione S. Felicem nequaquam Spoletanum, sed Spellatensem Episcopum fuisse, argumentatur. qua in re cum Spalatensi vrbi, vel nolens inseruiat, ex dictis nil replicandum censemus. præterire tamen non possumus dum ex vnico æuo nostri scriptore, Philippo Ferrario, S. Felicem 18. Maij Ecclesiasticis tabulis celebrem, Hispellensem Episcopum, sub Diocletiano & Maximiano Imp. Hispelli passum, producit vanissimè. tum quia Petrus & Vsuardus, sicuti & Donnola agunt de S. Felice Spalatensi siue Spellatensi, non vero Hispolensi, tum quia eundem martyrem sub Manimiano, non autem sub Diocletiano & Maximiano fatentur. præterea sicuti Ferrarius nullo certo classico authore, sed Hispolensiũ assertione, Felicem cõfictum Hispelli Episcopum, vna cum Ioanne Spoletano Episcopo Synodi Sinuessanæ interfuisse somniatur, cum nullus Hispelli Episcopus, in illa Synodo reperiatur, licet id in annotatione ad Ferrarium, de suo addat Donnola, ita mage gratis, dat Hispellanis Episcopum, ipse Ferrarius, qualem nulla prisca vel succedens ætas cõcessit. quin idem Ferrarius, eundem Felicem, vti paulò post videbimus, ab duodeuigesima die Maij, ad trigesimam Octobris translatum, Episcopum Martanum & Martyrẽ Tudertinum, describit, iuxta illam antiquitatis Paræmiam

Destruit, ædificat, mutat quadrata, rotundis.

cui etiam ipsemet Donnola subscribit, quatenus Martanum & Hispellensem Felicem, eundem in notis ad Ferrarium facit, & vterque ipsorum S. Felicis reliquias in castro Iani, prope Spoletum agnoscit.

Sed

Sed pergit vlterius patriæ illustrator, figmenta excogitata fulcire, testimoniali fassione Reuerẽdiss. Laurentij Pastrutij, Spoletani Episcopi. qua testatur in Collegiata Ecclesia S. Laurentij Hispelli, suę Diœcesis, erectam esse societatem doctrinæ Christianæ, sub inuocatione S. Felicis Episcopi Hispellanensis & martyris. etenim præterquam quod testata ait sibi constare, per fidem sui Vicarij foranei; quod cuius momenti sit in iudicio, Iuris vtriusque Doctorem Dõnolam appello iudicem; fides qualiscunque, seu testimonialis allegata, de S. Felice Hispellanensi, non vero Spalatensi, siue Spellatensi loquitur. at si quidquam deferendum iure voluit Donnola præfatæ testimoniali, Hispellanensis Episcopatus prius erat probandus, intra suæ patriæ limites extitisse. quo non probato, ignotius pro ignoto est venditare. vnde eiusdem roboris est ducenda altera attestatio, quam per Hieronymum Rocchum, Spoletanum Notarium, & Episcopalem Actuarium, conscriptam dicit, attestantem, in Ecclesia S. Mariæ Maioris Spoleti, in quadam columna, extare depictum S. Felicem Episcopum Hispellanum, cum subscriptione eiusmodi: S. Felix Episcopus de Spello. item documentum, vt ipse ait publicum, registratum per Euandrum Lilium, pariter Notarium & Actuariũ Spoletanum, quo ex libris Archiuij Episcopalis, sub plebatt Spelli, inter alias Ecclesias, ponitur Ecclesia S. Felicis. quantum enim hæc votis Donnolæ faueãt. ipse non video, & idcirco in ijs examinandis hęreo minimè. At videat pius Lector oro, quam minus digne, bonæ fidei scriptore, veritatem agnitam, apud Illustrissimum

ſimum ſydus æui noſtri, Card. Baronium, occultare conatur, dum ait: *Subdit præterea Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius. addendo in ſæpius citatis Notationibus ad dictũ diem 18. Maij in verbo Felicis Epiſcopi: Synodales litteras ad Sixtum Papam V. de martyris corpore nuper refoſſo, & honeſtiori loco recondito, ſe vidiſſe. quas quidem litteras deperijſſe, facilè ego & ediderim. Cum enim cupiditate flagrans negocij plurimum habuerim, vt de eorumdem tenore, & à qua Synodo emanauerint, certior fierem, nuſquam eas reperire fuit conceſſum.* ita ille. more ſuo nolens intelligere, vt bene ageret. cum ex Baronij annotationibus clarè conſtet, litteras Synodi Spalatenſis fuiſſe, ſuper reliquijs S. Felicis eodem tempore, refoſſis, & honeſtiori loco reconditis. is enim in Martyrologio per ipſum reformato, & annotationibus illuſtrato, dum reddit rationem, ſub die 18. Maij cur S. Felicem Spoleti, in Martyrologij textu deſcriptum, in margine Spalati, pro Spoleti poſuerit; in annotationibus, ſub littera D. Felicis, inquit, Epiſcopi, Vſuardus de eodem hac die, & Petrus in Catal. lib. 5. cap. 13. licet pro Spoletino, dicat Spalatenſem. ſed non tantùm eius cauſa, addita eſt in margine varia lectio, ſed quod Spalatenſes, eundem Felicem ſibi vt ſuum vendicant. vidimus de ea re, litteras Synodales, ad S.D.N. Sixtum Papam Quintum, vna cum publica atteſtatione de eiuſdem martyris corpore nuper refoſſo, & honeſtiori loco recondito.

Hæc Baronius, omnibus clarus, niſi ſoli Donnolæ, quis enim non videt agi de Synodo Spalati, Metropolitana Vrbe coacto, non vero Hiſpoli ſeu Spole-

ti,

ti, item de corpore martyris in eadem Vrbe refosso? in qua, plurimi adhuc supersunt in Venerabili Metropolitano Capitulo, qui eidem Synodo, interfuerunt ministri, cum illa fuerit nō Diocæsana, sed Prouincialis. nimirum Archidiaconus eiusdē idemq; Abbas, Arbensis, felicis memoriæ Card. nuperrimi Farnesij, diu familiaris, D. Hieronymus Alegrettus I. V. D. iam propè nonagenarius. item D. Rinaldus Rinaldus, Archipresbyter, eiusdem fermè ætatis. item D. Diocletianus Cipcius, ferme centenarius, eiusdem Ven. Capituli Decanus. vt plures alios ommittam. licet subticere nequeam Illustriss. & Reuerendiss. D. Petrum Cedulinum, ex Nonensi, Pharensem Episcopum, centenarium, à sexaginta annis Episcopum, & vnum ex patribus dictæ Synodus, sed præter nobilitatem generis, Apostolici pectoris cōstantia, & zelo Ecclesiasticæ libertatis tuendæ, singulare æuo nostro exemplar, Romanæ Curiæ, ob plurima in ea officia, immortali laude administrata, notissimum, commendatissimumq. vt nulla tergiuersatione valeat se Donnola excusare, quominus ad satietatē potuerit omnia explorare, si desiderio noscendæ veritatis flagrasset, vt verbo tenus protestatur; cum ad hāc vsque diem, præter plurimos viuentes testes, Acta ipsa Synodica in Archiuio Spalatensis asseruentur Ecclesiæ. verum faxit Deus ne magis præstiterit Aduocatum, seu Rethorem, quod officium se in Vrbe gessisse, ipsa sui libri inscriptione fatetur; quorum naturam cū satis Plato, post Socratem, tetigerit, ad vlteriora procedamus.

Concussis Martanis, post hæc Tudertinis bellum in-

dicit, ob ius, quod ij in S. Felicem, se habere intendũt, idq. vt suo voto magis satisfaciat, re vera vt volẽs nolens, inde Spalatẽsibus magis inseruiat: quam ob rem bella ipsius euitando, breuitati studendo, telum saltem quod inane, suo more in Iacobum Guallam Ticinensem intorquet, quod S. Felicem Spalatensem scripserit, retundamus; quod fiet, eneruato teli iactu. quẽ duplici argumento vrsisse se putat. primo. *Cum, inquit ille, passionis narratio quam Gualla affert, vna eademq. ad summam sit atque illa, qua de S. Felice Spellatensi recensetur, hinc apparere Guallam, in eo verbo tantum Spalatensis, scribendo fuisse hallucinatum. secundo quia conuincitur falsa plurima scripsisse circa sanctorum corpora &c.* hęc ille pluribus licet. at primum argumẽtum etiam admissum, nil aliud concludit, quam quod male conclusum huc usq; docuimus. verum negatur hallucinatus Gualla, nisi id aliunde probauerit Donnola, cum in plerisq. cum impressis, tum manuscriptis Martyrologijs, apud Spalatensem Vrbem haberi scriptum, ipsemet fateatur pag. 28. Spoletanæ vocis Lectionem destruendo. ita vt hallucinatus minimè, possit argui Gualla, nisi etiam hallucinentur ipsa Martyrologia, quæ pro se citat Dõnola. quod porro negat credendum Guallæ in hoc, ex eo, quia alias, in alijs, falsitatis dicatur conuictus, nec ipsi Donnolæ credendũ erit, vtpote toties erroris huc vsque conuicto, & posthac vberius conuincendo. licet apud Dialecticos, minimè hæc concludant; cum aliquis in vna re minus, in alia magis fidelis concedatur.

Tandem vt funditus euertat ea omnia, quæ pro Spalato stare possent, duo sequentia argumenta, tanquam va-

validiſſimos arietes expedit.

Cæterum ait à Clero, populoq. Spalatenſi ſeu Salonitano, præter S. Domnionem prædictum, ac Beatum Raynerium, nullum alium eius Eccleſiæ, Sanctum Epiſcopum & martyrem haberi; in eaq. ciuitate S. Felici Epiſcopo & Martyri, nec Eccleſiam, nec altare dicatum extare, mihi pro certo eſſe voluerunt, notæ & exploratæ fidei viri, Reuer. P. F. Placidus de Spalatro Prouincialis Dalmatiæ ſocius, quem alloquutum ſe dicit, cum alijs quos ſubiungit, breuitatis cauſa omittendis; inter quos more ſuo, Fratrem Ioannem Gazarem Leſinnéſem Auguſtinianum, Spalatenſem Dominicanum appellat.

Illud quoque (pergit) *aduertiſſe iuuat, quod in Eccleſia S. Hyeronimi Illyricorum, ab Syxto V. magnificentius extructa, & picturis exornata, cum S. Domnionis, & S. Rainerij Salonæ Archiepiſcoporum, & S. Methodij, ac S. Cyrilli Archiepiſcoporum Sclauorum, aliorumque Sanctorum eius Prouinciæ, cum prædictorum nominum ſubſcriptione, ab vtroque latere, ſub fornice conſpiciantur, nuſquam tamen in ea Eccleſia cernere eſt S. Felicis Epiſcopi, & martyris ſimulacrum. Nec abſimile conijcitur argumentum ex Marco Marulo Spalatenſe, qui cum virtutum, & vitiorum exempla ſex libris proſequatur, & in eis plurimorum fortia geſta Sanctorum commemoret, nullibi tamen de S. Felice Epiſcopo & martyre, mentionem facere mihi viſus eſt. Vnde planè putatiuam S. Felicis in ea Ciuitate memoriam, ſi qua extet, ob manifeſtum ſcriptorum æquiuocum, in verbo Spalatenſis, pro Spelatenſis, exortam exiſtiſtimo, atque excitatam*; hactenus Donnola, tanquam

ex tripode funderet oracula, cum sententiæ à veritate alienæ, vt sunt tot in duobus argumentis Donnolæ, quot fermè verba, gemellæ negari nequeant cum oraculis, mendaci tantum gentilitati, probatis; & vt institutæ breuitati insistamus, assertioni eius insistendo; minus necessarijs omissis.

Dico primo, toto cælo errare Donnolam: dum à Clero, & populo Spalatensi, quem & Salonitanum appellat, nullum ait alium haberi S. Episcopum, & martyrem præter Domnionem, & Raynerium, cum iam ostenderimus s. Domnium martyrem Salonitanorum Præsulum Coriphæum, Porphirogenito notum, Metropolitanæ Spalatensis Ecclesiæ Patronum, & Spalatensis Vrbis tutelarem haberi, & coli, sicuti S. Felicem, certis indubitatisque documentis mox ostendemus.

Dico secundò: mala fide, innato suo more, à Donnola, appellari S. Raynerium Salonæ Archiepiscopum, cum in allegata Ecclesia S. Hieronymi, Spalatensis habeatur inscriptus Archiepiscopus, non vero Salonitanus; sicuti habetur pictus S. Domnio; præterquam quod non auderem affirmare an aliquando S. Raynerius Salonarũ ruinas viderit, sexcentis fermè annis ab eorum euersione, ab Episcopatu Calliensi Italico, per Alexandrum tertium translatus; Spalati non Salonis sederit, teste coæuo & Archidiacono suo supra laudato Thoma. cuius inscriptionis argumento, differentiã Vrbis Salonarum, ab Vrbe Spalatensi, facilè discernere potuisset.

Dico tertio, In Vrbe, siue intra mænia Spalatensis Vrbis, nulla licet, quod sciam Ecclesia

aut

aut altare, S. Felicis extet nomine, extare tamen, quod nullus ex testibus à Donnola citatis, negauit, aut ad præsens negat, eorum optimus, in Vrbe Roma, ob integritatem morum, animi candorem, amorem in patriam, litterarum præstantiam, & omnimodam rerum experientiam, vir incomparabilis D. Marcus Spudeus I.V.D. ad mænia eiusdem Vrbis, antiquissimum, totiusque Spalatensis Diœcesis amplissimum, ac nobilissimum Templum, cum antiquissimæ picturæ Altari, s. Martyri, & Episcopo Felici dicatis, & in eodem templo, Reliquias eiusdem Martyris Sixto V. sedente, teste Baronio refossas, & honestiori loco recōditas venerari; cum amplissimo Cœmeterio siue Polyandro, vniuersæ Spalatensis Vrbis, & Suburbiorum eius incolarum communi, adiacenre eidem Ecclesiæ Monasterio Fratrum Minorum, cuius fundamenta manu Seraphini Assisinatis, iacta, piæ plebi venerationi habentur. quod templum, ante septingentos circiter annos, à quo Spalatensi Archiepiscopo, s. Felici dicatum fuerit, sæpè memoratus Archidiaconus est author.

Dico quarto, apud Dialecticos; nullius esse momenti illatio, qua Donnola se putat triumphare, dum s. Fecis imaginem nullibi in Ecclesia s. Hieronymi scribit extare, si enim hæc illatio quidquam concluderet, innumeri alij Sancti viri gentis illyricæ, qui picti sunt in ea nequaquam, Illyricis essent denegandi. Salonitanisque ipsis, in primis, s. Domnius sæpè repetitus hactenus, tres fratres s. Caij Papæ, cuius ibi extat imago, videlicet Gabinius S. R. E. Præsbiter, & Scriptor. Maximus, & Claudius Tribuni, huiusque filij Alexan-

der

der, & Cuthia, ac eorum mater Præpedigna, Gabinijque filia Susanna, sicuti & eius consobrina Arthemia, Diocletiani filia, eiusq; mater Serena sanctissima Augusta, duodecimque alij bona ex parte Salonitani Episcopi, quorum corpora ex Dalmatia, Romam translata, opera Ioannis quarti Pont. Dalmatæ, religiose coluntur in Ecclesia s. Venantij, ab eodem Pontifice, prope Constantinianum Baptisterium extructa, prostantibus in eius parietibus, eorundem sacris Iconijs, opere musiuo expressis, nominatim inscriptis, nempè Venantij, Domnionis, Mauri, Septimij, Antiochiani, Caiani, Pauliniani, Celij, Asterij, Anastasij. vt aliorum Christi Confessorum Illyricanorum, innumeras Phalanges ommittam; cum in Ecclesia s. Hieronymi, præter eius imaginem, Caij, & Ioannis Romanorum Pontificum, Methodij, atque Cyrilli, Slauorum, ibi habet non Sclauorum, vt barbarè scribit Donnola, & Domnionis Salonitani, ac Ryanerij Spalatensis, tantum extare noscantur. licet aduocatorum licentia, bonus vir, addat, præter nominatos, *aliorumque quoque Sanctorum eiusdem prouinciæ extare*.

Dico quinto. Marci Maruli, nullum opus extare virtutum, & vitiorum, sex libris expositum, sed libros sex dictorum factorumq; memorabilium, siue de religiosè pieq; viuendi institutione, per exempla veteris, & noui testamenti. necnō libros septē de Fide, Spe, & Charitate, quod opus Euangelistariū nūcupatur, ita vt etiam in citandis authoribus, fide vir bonus laboret.

Dico sexto. illationem quam ex conficto opere Maruli similiter fingit, eiusdem momenti esse cum priori

 argu-

argumento. etenim ex hac illatione, nec s. Domnio, nec Raynerius, nec Methodius cum Cyrillo, Caiusve cum Ioanne, inter Illyricos essent annumerandi, nedum Felix, cum legionibus Sanctorum Illyricæ nationis, ex eo quia Marulus in libris suis, nullam illorum mentionem fecisset. qui tamen adeò erga s. Felicem pio flagrauit desiderio, vt propè ipsius sacros cineres intra eandem Ecclesiam, voluerit humari tumulo marmoreo, ad hanc vsque diem, facti teste.

Ex ijs omnibus itaque pio lectori pateat, quam iniquè spoliata Spalatẽsis Ecclesia pretioso thesauro felicissimi Martyris, imposturis Donnolæ, Hispolensi oppido ille obtrudatur, statim enim post vanitates falsas, vt ait propheta, subiungit.

De reliquo si licet causas excogitare, aut excusationes aliquas afferre, cur prædictæ antiquæ lectionis eius loci Martyrij, scilicet apud Spellatensem Vrbem, mutatio contigerit, seu varietas irrepserit: certè minimè incongruas iudicauerim: tum quod ob verborum Spoletanensis inter se similitudinem Spalatensis, & Spellatensis, aut decipi aut saltem in æquiuocum incidere quis, facilè potuit. Tum quod Spelli Episcopatus in Episcopatum Spoletinum iam diu transiuit, vt in Topographia in verbo Hispellum Ferrarius aduertit. Tum etiam quod S. Felicis corpus in dicta Ecclesia, propè Ioni Castrum, Spoleto proximum quiescit. Tum denique quod Spellum, à quo dictum est apud Spellatensem Vrbem, per pauci (quos enumerat) *nomine Spelli vt ab Italis modernis nominatur; antiqui verò*, quorum Cathalogum lexit) *Hispellum potius appellasse noscuntur.* ita ille. at eiusmodi causas ab homine magis patrij splen-

ſplendoris, quam veritatis amante pingi, quis non videt, niſi qui nullam ſimilitudinem, Hiſpelli, ſiue Hiſpoli, vt antiquitas perpetuo Spoletinæ Eccleſiæ oppidum appellauit, cum Spalatenſi siue Spelatenſi Vrbe animaduertit, cuius affinitate hæc æquiuocatio potuerit inoleſcere, quæ Spoletana cum Spaletana, siue Spalatenſi Vrbe, facilè potuit contigiſſe. Et ne ad omnes nænias intendamus; quid ineptius excogitari potuit vnquam, quàm nobilisſimum antiquiſsimæ Coloniæ Romanæ, Vmbrorum Principis, Longobardicæ potentiæ in ea parte Italiæ, Ducalis Sedis prærogatiua inclytum Spoletanum Epiſcopatum, ipsis ſummis Vniuerſalis Ecclesia apicibus producendis ſacroſanctum, reclamante vniuerſa vetuſtate, ex Spelli Epiſcopatu, nulli vnquam in Eccleſiæ Dei cognito, fluxiſſe aſſerere; cum Spelli Epiſcopatum in Spoletanum iam diu transiſſe, concrepantibus buccis intonat? Adsis (cogit enim veritas calcata, ad veritatis protectores, & vindices vocem attollere) adsis inquam Sabine martyr inuictiſsimæ, Spoletinæq; Vrbis ante 1300. annos Paſtor vigilantiſſime, tuque ante Sabinum, centum annis, eiuſdem Vrbis eximiæ Sacerdos Concordiæ, veſtręque Illuſtriſſimæ Patriæ iniuriam ab impoſtura, veſtri minus ęqui Diœceſani, mecũ profligate. Tuque in primis, qui ſingulari prærogatiua Chriſtianæ fœlicitatis, ex ipſa Spoletina ſede, ad vniuerſalis Eccleſiæ faſtigium, virtutum omnium, ſed Iuſtitiæ, aliarum Reginæ, alis præcipuè conſcendiſti; tuæ olim ſponſæ vulnera, ab nimium ſui amante ſobole illata; æquiſsimi oculi tui radio, verus Sol noſtri ſæculi, Vrbane Pontifex ſanare

nare

nare dignato. At inquiet Donnola, Ferrario facem preferente, se talia iactare; sed societas peccantiũ veritatis radios obscurare, non est sufficiens; cum à plerisq; viris eruditis, errasse sępius, obseruetur; quod vel inde patet, vbi in sua Topographia, in Romanum Martyrologium, sub verbo Hispellum, ex libris Conciliorum generalium, adstruit Episcopatum Hispellanum in Spoletanum transijsse, cum nullo generali Concilio, Felix Hispelli Episcopus inueniatur subscriptus. Sed bonus Donnola quo iudicio, qua prudentia Ferrarium tanti facit, vt eundem incudem suam, vanis Conciliorum ictibus tundentem, ad exprimendum, vel sua arte excudendum, alicuius generalis Concilij nomen non adigat, vel si illi molestus esse non vult, ipsemet sexdecim sæculorum spatio, aliquem testem, vel ex Annalibus Ecclesiasticis, aut Martyrologijs, Synodibus Prouincialibus, seu Diœcesanis, seu ex notis suffraganeorum, & comprouincialium Episcopotum, metis demum proximorum Episcopatuum, sui Episcopatus Spellati, aliquo saltem indiculo, proferat, præsertim cum omnibus prouinciæ Vmbrorum peritis, liqueat, inter Diœceses Spoletanam, Fulginatem, Assisinatem, & Nucerinam, nullam aliam, ob angustiam locorum potuisse constitui, quę Hispolensi oppidio inter præfatas Ecclesias sito, propriam efformare ditionem valeret.

Argumẽtum postea quo Episcopatum Hispellanum, ex eo capite conatur elicere, quod præfatum oppidum olim Romana fuerit Colonia; planè nihil concludit, apud antiquitatis Ecclesiasticæ gnaros. Etenim Ar-

dea, Hiſpello multo nobilior, Carſeoli item. Setia, & Circei, ductę fuere Coloniæ ſimul, cũ Nepete, Sutrio, Alba, Sora, Narnia, & alijs Oppidis, vt libro vnde trigeſimo, teſtatur Liuius; non tamen vnquam ille priores, Epiſcopalem dignitatem probantur ad hanc vſque diem aſſequutæ, ſed omiſsis alijs minus ad nos pertinentibus.

Denique pro huiuſce, inquit Donnola, *loci martyrij S. Felicis Epiſcopi Spellatenſis veritatis concordiæ, clariſſimaque euidentia; vt neceſſum, & congruum ſic iucundum, ac fructuoſum fore omnibus, præcipuè Hiſpellatibus cenſeo ampliſſimum atque omnium qui de eo ſcripſerunt, antiquiſſimum inclytæ Ciuitatis Papiæ pondus, ac teſtimonium hiſtoriæ eius martyrij in medium afferre*, ita ille, qui pręmiſſa atteſtatione Notarij Papienſis mox legendam S. Felicis apud Papienſes. extantem ſubijcit. ex qua tamen quoad ſubſtantialia, idem ferme legitur, quod & in alijs, hactenus per illum congeſtis, niſi quod vbi alię legendæ Spelatenſem, ſiue Spalatenſem Vrbem. nominant, in hac Ciuitatis Spellatis pro illis fit mentio. quod quam coronidi veritati Donnolianæ ſuffragetur, aliorum eſto iudicium. tum quia Hiſpellum nunquam ciuitas extitit, ſicut habet legenda, tum quia nomen modernum Spelli, quod ille in Spellatis denominationem, violẽta metamorphoſi trahit, à nullo antiquorum vel ipſomet teſte, latinè ita pronunciatur; hiſtoriam autem Papienſem, ipſe fateatur antiquiſſimam, & demum Spellate nomen magis ciuitatis Dalmaticæ Spalati, ſiue Spaleti, quam Hiſpolo conueniat, ſiue Hiſpello.

Pro

Pro eadem coronide, aliam addit historiam s. Felicis, per Iacobum Guallam supracitatum, ex Papiensi Sanctua io extractam, sed cum hic Spalatensem scribat, coronidem non fulcit tertiam insuper ex Petri Galesini Martyrologio, sed Spoletinis non Hispollensibus fauorabilem, quartam ex Ioanne Baptista Posseníno, nil minus quam coronidi celebratæ æquam, cum Martanus in ea S. Felix scribatur Episcopus: sicuti, & in quinta Augustini Monachi. tãdem sextam ex Ferrario, itidem eiusdem conditionis, immo deterioris, cum etiam ipse Martanum scribat, & diuersus ab alijs, & à semetipso, vbi prius Spelli S. Felicem sub die 18. Maij ruit, hic 30. Octobris, eodem ferme tenore celebrat; Donnola ijs non obstantibus, Fel cem, qui tot Eclesiarum martyr, & Episcopus à diuersis authoribus, scribitur, in vnum pro coronide, Spelli Episcopum, conflat, Spalatensem negans. Tudertinas Lectiones ex Posseuino, deprauatas arguens, alios aliter torquens, & in suam sententiam trahens; quasi euicta causa, & triumphum se ducere credens; instat apud Sacram Congregationem Rituum, vt expuncto ex Martyrologio Romano, nomine Vrbis Spoleti, quam Spalatum Baronius agnoscit, pro eo Hispelli nomen ponatur, ac si luce clarius Hispellanum demonstrasset Felicẽ, licet nil minus vnquam probauerit: quam illud vnũ: Hispellũ, siue Hispolum. à recentioribus Spellũ dici scribiq; eiusmodi porro oppidum, nullis argumẽtis ostenderit eam esse ciuitatem, de qua scribit Vsuardus, & Petrus, Spelatensem, siue Spalatensem. ab Illustrissimo Baronio, & in Martyrologio, & in Annalibus, Spalatum scriptam.

Nos itaque breuiter Impostura Donnolæ detecta, breuius rei veritatem pro Spalatensi Vrbe stare, videamus. Et quidem S. Felicem sicuti nequaquam contendo mordicus Spalatensis Vrbis Episcopum, cum Maximiani temporibus, quibus martyrio coronatus habetur, Spalatensem Vrbē Episcopali dignitate ornatam fuisse ignorare me fatear ingenuè, vt potè quæ Diocletiani, tunc temporis priuatam vitā agentis, Palatiū potius habebatur, sed Salonitanū verius, vel alicuius alterius Dalmaticę Ecclesię Episcopū, ita Vsuardi verba & Petri, apud Spelatensē & Spalatensē Vrbem, de Spalato intelligenda teneo, quatenus eo tempore, quo vterque eorum scripsit, prædictum Palatium, propè quod martyrium Sancti Præsulis contigisse, minimè ambigo, iam Vrbs Metropolitica Maiestate noscebatur insignis.

Veritatem porro pro Spalatensi Vrbe stare, patet ex duobus.

Primo quia S. Felix de quo agimus, non in Italia, sed in Illyrico, martyrij palmam obtinuit.

Secundo, quia in eodem Illyrico Sacræ eius Reliquię prope Spalatū conditę, hodierna die, ibidem coluntur.

Quoad primum, cum plerique authorum; ex quibus Donnola S. Felicis historiam recenset, S. Martyrem sub Maximiano Imperatore passum tradant, eodem Donnola tenacissimè in hoc perseuerante, cum Martyrologio Romano: in Illyrico id contigisse, non Italia, fateamur est necessè. ex eo quod Maximianus, qui quoties sine Diocletiano scribitur, nequaquam huius Collega, cognominatus Herculius, sed Diocletiani

gener,

gener, & in Imperio, per adoptionem successor, Galerius dictus, est intelligendus; vt ex obseruatione, & legum ab ijsdem Imperatoribus latarum, & historijs Ecclesiasticis, est videre; nullam in Italia, sed in Illyrico iurisdictionem exercuit; ac proinde Tarquinium Præfectum in Italicam Vrbem mittere, nullatenus potuit, multo minus is in Italiæ Vrbibus fundendi sanguinis ius, obtinere valuit; constat enim, ex authoribus, à Cardin. Baronio ad annum Christi 304. citatis, inter duos successores Diocletiani, & Maximiani, Constantium Chlorum nempe, & Maximianum Galerium, ita Romanum Imperium fuisse partitum, vt Cõstantius Gallijs, Hispanijs, Italiæ, & Africæ præesset, Galerius Illyrico, Græcię, & Orienti imperaret. qui Baronius ibidem diluit Eutropij verba, quibus dicitur Constantius administrationem Africæ, & Italiæ recusasse. moxque ostendit ex Eusebio, in ditionibus Constantini, Christianos agentes, optimi Principis indulgentia, pacem habuisse; sub Galerio verò, dicta persecutione vexatos fuisse. nec obstat, quod Sextus Aurelius Victor Scribit Constantinum à Galerio in Vrbe Roma, religionis specie, obsidis loco tẽtum fuisse. nam Aurelius Victor in opusculo abbreuiatæ historiæ, ab Augusto Octauiano, ad tertium Iuliani Imperatoris Consulatum, nullam Vrbis Romæ habet mentionem, sed simpliciter à Galerio religionis specie, ad vicem obsidis tentum fuisse, describit, vt illa particula, in Vrbe Roma, ab eo addita deprendatur, qui sub nomine Sexti Aurelij Victoris, Imperatores Romanos, ad Teodosium vsque, compendio contraxit. cujus authorite

thorite, ipse quoque Baronius lapsus, est deceptus; eius enim temporibus, nondum Andreæ Schotti opera, germana Aurelij scripta prodierant. quin immo, tantum abest à verò, vt Galerio ius fuerit in Illyrico, vt post mortem Constantij, cum Seuerum filium dictum Cæsarem, ex Illyrico in Italiam immitteret, Maxentius qui Romę, contra filium Constantij Constantinum, Imperium arripuerat, eundem Seuerum repulerit, & demum Rauennæ interfecerit, eodem Aurelio teste. item cum post mortem filij, idem tentasset Maximianus, ad ipsomet Maxentio, in Illyricum fuerit reiectus. idem Victor scribit Constantinum tolerare nequisse, vt Galerius Seuerum filium Italiæ præesse juberet; non aliam ob causam certo certius, nisi quia Galerio nullum ius in illa competeret, quam omnino ad patrem suum, & eo mortuo, ad se pertinere sciebat.

Maximianum porò in Illyrico imperantem, inibi vitam traduxisse, vt apud omnes apertè constat, ita eum ibi diram in Christianos exercuisse persequutionem, & eius furore, inter alios pręstantissimos Illyricanę Ecclesiæ Præsules, Felicem ipsum Spalati sublatum, testis eximius adest Card. Baronius, cuius verba, quoniam se legisse dissimulat, miro silentio Donnola, ex Tomo tertio, anni Christi Domini 308. hic producimus. Is postquam martyrium s. Quirini Episcopi Scisciæ in Illyrico, ex Eusebio; & Prudentij carminibus descripsit, anno tertio Maximiani, Eadem quoque, ait, persequutione vrgente in Illyrico, passus est Vtsicius martyr sub Aristide præside, Spalati Felix, Sirmij Ireneus Episcopus sub Probo accerimis tormẽtis vexatus

lon-

longoque carcere afflictatus, tandem abſciſſo capite martyrium magna gloria conſumauit, Drizipare eiuſdem prouinciæ ciuitate, paſſus eſt Alexander martyr miraculorum poſt obitum virtute, orbi, notiſſimus. hæc Baronius, licet in indice Typographi errore, Spoletum pro Spalato ſit poſitum; errore dico, nam præter expreſſam ſcriptionem Spalati in Annalium textu: dum recenſet martyres Illyrici: Spoletanum martyrem inter Illyricos, tantus vir poſuiſse, nequaquam per errorẽ eſt cenſendus.

Quoad ſecundum Iam docuimus extare ad menia Vrbis Spalatenſis Eccleſiam totius Diœceſis ampliſſimam, s. Felici Epiſcopo, & Martyri dicatam, cum altari memoriæ eiuſdem Sancti extructo, vetuſtiſſima pictura inſigni, quod templum licet vulgo s. Franciſci nomine nuncupetur ex Monachis Minoribus in antiquo Monaſterio ab ipſo s. Franciſco fundato, degentibus, in publicis tamen ſcripturis, & præſertim Eccleſiaſticis, s. Felicis nomenclatura clarum habetur, vt potè quod multis annis, ante s. Franciſci tempora, ſtructum fuiſse, teſtatur eiuſdem Seraphici Patriarchæ coęuus, & ob peculiarem erga s. Felicem obſeruantiam, in eodem templa ſepultus, vt ex inſcriptione venerandæ antiquitatis eius tumulo inſcripta, & anno millenario, eſt videre Thomas Archidiaconus ſæpè laudatus; qui etiam notat, à quo ex Spalatenſibus Archiepiſcopis, præfata Eccleſia, ſupra riuum s. Felicis inuocatione, fuerit extructa, atque dicata. nec vulgi abuſus in hoc eſt magnificiendus, nam & Eccleſia Catherinæ Virgini dicata, ab orientali parte Spalatenſis Vrbis, à

fra-

fratribus S. Dominici, illam adcolentibus, huiusce s. Patriarchæ nomine, oblitterata s. Virginis denominatione, s. Dominici appellatur, publicis monumentis litterarum exceptis; quod & hic Romæ, & passim in orbe Christiano, contingere videmus. ne vero aliquod præiudicium hæc noua denominatio Feliciano templo, apud Spalatum Vrbem, ex Franciscanorum incolatu longo, apud posteros inferret, neue cuiq; Felicem præsulem & martyrem, per alias Christiani orbis Ecclesias inquirendi, vt inani labore egit Dõnola, in posterũ daretur occasio: Sixto quinto Pontifice, Illyricani generis æterno sydere, Franciscanæ familiæ raro ornamento, & ante Pontificatum eiusdem sancti martyris in omen felicitatis futuræ fortunato, Illyricus præsul post milletrecentos annos, caput è sacro tumulo, in medio templo præfato tunc existente, sub altari eiusdem sacræ memoriæ dicato felicissime extulit, seseque tanquam præsagus Donnolianę audacię visendum Patribus Ecclesiarum totius prouinciæ Dalmatiæ, ad Synodum Prouincialem congregatis, obtulit, & eorundem Patrum Synodalibus litteris, summo omnium Patri, & vniuersalis Ecclesiæ felicissimo Principi, cognoscendum insinuauit, pluribus miraculis, adhuc per ora prouincialium incolarum volitantibus, ipsam inuentionem prosequentibus; cuius rei testes, præter communem Dalmatiæ famam & Metropolitanum Archiuium, superius citatos viros adhuc viuentes, repeto.

Ne tamen domesticis pro veritate certantibus, à viro in forensibus negotijs versatissimo quidquam op-

poni

poni poſsit, prodeat pro veritatis indubitatæ coronide, Apoſtolicorum morum, & Apoſtolico munere, nuper præclarè perfuncti Octauiani Garzadori, Vincentini patritij, Iadrenſis Vrbis Archiepiſcopi, totius Dalmatiæ viſitatoris S. D. N. Vrbani Octaui, & Sacræ Congregationis de prop. fide authoritate, & earundem ſacrarum reliquiarum, intra ipſam S. Felicis, Eccleſiam, oculati inſpectoris atteſtatio, ex eiuſdem Sacræ Congregationis Archiuio deſumpta, & præſtantiſsimi viri, D. Franciſci Ingoli, Congregationis Secretarij authoramento roborata.

Ex libro Viſitationis Dalmatiæ, per Illuſtriſſimum Dominum Octauianum Iadrenſem Archiepiſcopum factæ.

Spalati vigeſima menſis Ianuarij 1625.

Viſitatio Eccleſiæ S. Felicis fratrum Conuentualium S. Franciſci.

Die eadem à prandio; idem Illuſtriſſimus viſitator, proſequendo præfatam viſitationem, Spalatenſem, acceſsit ad Eccleſiam ſancti Felicis, ſiue ſancti Franciſci, extra mœnia Spalati, propè Monaſterium Fratrum Minorum Conuentualium ſancti Franciſci.

Vbi poſt Viſitationem Sanctiſsimi Sacramenti Euchariſtiæ, & Olei Infirmorum, ita habetur.

Visitauit Sacras Reliquias, nimirum Arcam Ligneã, continentem ossa sancti Felicis Episcopi & martyris, ac sociorum, exhumati sub Pontificatu Syxti quinti, tempore Synodi Prouincialis, vt patet in Notis Illustrissimi Domini Cardinalis Baronij, ad Martyrologium Romanum.

Visitatio S. Felicis.

Visitauit Altare s Felicis lapideum, non sacratum, & mediocriter de necessarijs prouisum: cum decent Iconia, licet antiqua.

Concordat cum originali existente in libro visitationis Dalmatiæ, Reuerendissimi Domini Octauiani Archiepiscopi Iadrensis, pagina 894. & 895. qui liber habetur in Archiuio Sacræ Congregationis de prop. fide.

Franciscus Ingolus Secretarius.

Locus † Sigilli.

Sed quia facilè posset, & ipse Donnola, & quilibet alius, ex allegatis supra, obijcere: Si Maximianus Galerius nihil iuris habuit in Italia, gratis ergo in opusculo, quod de Aurelia Valeria nobilitate edidi, dixerim Arthemiam Diocletiani filiam, ab eodem Maximiano Martyrio affectam, cum Romæ scribatur triumphasse; Idcir-

Idcirco fateor ingenuè me, vel ex hoc capite debere Donnolæ, quod examinando, & excutiendo sua, erroris mei mihi agnoscendi, & hoc loco corrigendi, præbuerit occasionem, cuius contrahendi causa fuit eiusmodi: cum inter meos libellos Sextum Aurelium, Victorem, Suppositium, vt superius dixi, seorsim, à germano, haberē compactum, eundemq; & à Baronio, & ab alijs magnis viris, tanq̃ classicum authorē & legitimum Victorem citari viderem, præsertim qua Constantinus in Vrbe Roma, obses à Galerio tentus fuisse scribitur, facilè credidi in eadem Vrbe, ab eodem Galerio, Arthemiam martyrio affectam, accedente præsertim authoritate Actorum Marcelli Papæ, à quo, vltimo Pōtificatus anno, à Lucinaq; pia fæmina, corpus Virginis tumulatum legitur; verum vbi Dōnola facessente negotium, occasione S. Felicis, germanum Auctoris opusculum cum suppositio, in vnicum volumen compactum, ex Plantiniana Raphelengia impressione inueni, remque non vulgari trutina, sed aurificis, vt aiunt, statera pensaui, impostoris obscuri fraudes, per tot sæcula, magnis viris, & inter eos mihi minimo, illusum ingemui; hinc ipsa quoque Actorum Marcelli authoritas acuratius inspecta, veritatis agnoscendę, magis ac magis viam aperuit. cum enim in ijs obseruassem, Arthemiæ martyrium, vltimo Marcelli anno, Pontificatus eius sexto, contigisse, biennio postquam Seuerus Maximiani filius, à Maxentio fuit in Italia interfectus, vt patet ex Baronio, & Zosimo; manifestè agnoui Maximiano nullam iurisdictionem, in solo hostili, competere potuisse; præsertim cum & ipse filij Seueri mortem vl-

 turus,

turus, vix Italiam armatus ingressus, ab eodem Maxentio fuerit expulsus, & in Illyricum reiectus, ac proinde nullatenus Romæ quidquam in Arthemiam statuere potuisse. inde in eam opinionem descendi, Maximianum pro Maxentio, facilè per errorem ex similitudine nominis acceptum fuisse, eo magis quia teste Zosimo, Maximianus ipse à quibusdam Maximinus consueuerit appellari; adde quod pari errore ex nominis affinitate, per multa sæcula, Maxentius creditus est author necis Catharinæ Virginis, quam tamen ad oculum, Baronius à Maximino Alexandriæ, cæsam fuisse ostendit. nec obstat quod in Actis Cyriaci martyris scribatur Arthemia interfecta à fratre suo Maximiano Romæ, nam præterquam ipsa acta magnorum virorum censura, non in omnibus habeantur approbata, immo pluribus locis corrupta, certum est Maximianum nequaquam fratrem fuisse Arthemiæ, licet tanquam gener Diocletiani, per Valeriã filiam, ab eodem, in regno successor fuerit adoptatus. Sed neque credendum vllo modo video, potuisse Maximianum in filiã, Principis optimè de se meriti, & adhuc in viuis, priuato licet more agentis, quidquam atrocius attentare, præsertim quia optime nosse poterat, eandem patre sciente, & regnante, Christo nomen dedisse. vnde sicuti Donnolæ errorem, pręsenti lucubratione libenter emendatam volumus, ita & meum multo libentius veritati restitutum gaudemus, Deoque lucis æternæ authori, gratias agimus immortales.

Ijs ita elucidatis, tandem aliquando ipsius Petri de Natalibus historiam de S. Felice subiungere operæ

pre-

pretium ducimus, vt cum Felicem Episcopum apud Spalatensem Vrbem, passum sub Maximiano viderimus, nullus dubitandi locus remaneat, eum alibi quam propè Spalatum, vbi eius amplissimum Templum, sacro eius tumulo superstructum, magna Spalatensis populi pietate, tanquam in loco martyrij cultum, ad hodiernam diem videtur, martyrio coronatum fuisse, intelligi posse nec debere.

Felix Episcopus apud Spalatensem Vrbem sub Maximiano Imperatore passus est, qui cum Christum Dominum prædicaret, à iudice comprehensus, post plurima supplicia, gladio cædente, martyrij palmam adeptus est, quinto decimo Kalendas Iunij, &c. ita Petrus in libro ante centum quindecim annos, Venetijs impresso, per Nicolaum de Frankfordia, recognito verò eodem tempore, per fratrem Albertum Castellanum, Ordinis Prædicatorum.

Sed iuuat adhuc eadem peroratione, qua Donnola suum conatum admodum prudenter, & piè clausit, hanc nostram venatricam veritatis elucubratiunculam sigillare, ciuitatis tantum Spelatis in ciuitatem Spalatensem, vrgente veritate, commutato nomine.

Quamobrem inquit ille, & nos cum illo, *cum ita matura comparatum constet, vt nullus suauior animo cibus sit, quam veri cognitio; ab ijs qui minus solidum hac de re suis mentibus comprehenderunt, & inscienter hactenus sectati sunt opinionem, si eum ratio iam conuulsit, ne repugnent, sed animis libentibus remittant, deponantque; verissimè enim M. Tullius inquit, diem opinionum commenta delere, naturæque iudicia confirmare, quoniam solum tempus veri-*

rita-

ritatis est parens. Qui verò optimè tenent quæ de Sanctis Martyribus, ab antiquis prodita sunt; vt præmissis alia; si quæ valent, in huiuscemodi veritatis robur, & confirmationem, ac Ciuitatis Spalatensis, de tanto Præsule ac Patrono, S. Felice, feliciter letantis honorem, adijcere non grauentur. hactenus Donnola, & ego cum illo, eiusdem Beatissimi Felicis Episcopi, & Martyris inclyti, seruus humillimus, & addictissimus maximopere peto, rogo, atque etiam obsecro, gratias habiturus immortales.

Te porrò Thadæe Donnola, dum ciuis optimi affectu flagras erga patriam, ijsdem verbis quibus olim S. Syxtus Pontifex tertius de Diuitijs agens: Oro, vt omni animositatis cõtentione summota, & eius rei quam diligis, defensione sequestrata, atque seposita, quæ dico, pura & syncera mente consideres, & verborum meorum vim, non vt tuæ partis defensor, sed vt indagator veritatis examines.

Interim Corrographiam supramemoratam, Salonarum, & Spalatensis Vrbis, h c adnectimus spectandã.

F I N I S.

VENERABILI METRO-politano, Primitialique, totius Dalmatiæ, Croatiæque, Canonicali Capitulo.

Magnifico Senatui, Populoque, Augustalis Vrbis Spalatensis.

IOANNES TOMCVS MARNAVITIVS *Episcopus Bosnensis*. F.



VSto Mliko, i Psi locsu. vetus Illyricæ nostræ gentis habet prouerbium, sicuti etiam alibi me scripsisse memini, quod latina lingua, sed pari energia, & venustate, vix eprimatur. Neglectum nempè lac, Canibus etiam lambendum prostitui: quod vobis contingere, non absque animi mei molestia video, dum innumera sacræ, & prophanæ antiquitatis monimenta, eximia Augustalis patriæ vestræ decora, negligitis; (quod amore vestri dictum habetote) vt iam mirum minimè videatur, eorum splendore aliorum pectora trahi, ab ijsdemque, qualicunque colore, à vobis abstracta, ad suam gloriam augendam pertrahi; ita

San-

Sanctissimum Glycerium, ex Imperatore Romano, Salonarum Vrbis, antiquissimæ vestræ parentis (quod nunquam orbis terrarum vidit, Antistitem) à Mediolanensibus inter ciues, & Præsules suos, connumeratum, Regiæ, Sanctitati Illyricanę, quod alias vestri fuisset officij, veritate duce restitui; ita nunc Felicissimum martyrem, & Episcopum, ab Hispolensi raptu, Augustali vestræ Patrię, libens, cum etiam de mea fide ageretur, vindicaui, libens etiam inter grauissimas curas licet, & itinera vix requiem admittentia præsto; cum & communi patrię, cui omnia debemus, & vobis Illustrissimi Spalatenses, pluribus hospitalitatis officijs de me, deq; meis Bosnensibus, æquè ac Sibenicensibus, sæpius optimè meritis, inseruire me gaudeam. verum enimuerò cum & vestrum Capitulare, & Senatorium Archiuium, prçter priuatorum ciuium, scrinia, eximijs antiquitatum monimentis, & antenatorum vestrornm eruditissimis elucubrationibus abundare mihi constet experientia, & vobis possidentibus ob oculos versetur, ijs vt luci expositis, & glorię vestrę consulatis, & alijs auferendi vobis vestra, prçcidatis occasionem; sic vos ętetna sospitet felicitas; efflagito